

Franz Wolf Johann Schuckmann

Exercitatio Logica, De Syllogismo, in qua Nonnullorum, quae de structura, figuris, modis & reductionibus Syllogismorum in compendiis passim solent tradi, rationes investigantur & explicantur

Rostochii: Kilius, 1675

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730607356>

Druck Freier  Zugang



RU phil 7675
Franciscus Wolf
Johann-Schückmann

EXERCITATIO LOGICA,
DE
SYLLOGISMO,

in qua
Nonnullorum, quæ de structurâ, figuris, modis & reductionibus Syllogismorum in compendiis passim solent tradi, rationes investigantur & explicantur,

Quam
Auspicio D. T. O. Maximi,
PRÆSIDE

DN. FRANCISCO WOLFIO,
Phil. Mag. Log. P.P. & Facult. suæ p.t.
DECANO.

Dn. Ad fine, Præceptore ac Fautore suo honorando,
publico Philosophantium examini,

In celeberrimâ ad Varnum Academiâ,

In Auditorio Majori, die 1. Septemb.

horis consuetis

submittet

JOHANNES Schuckmann / Rost.
AUTOR.

ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr. 1675.

SERENISSIMO, CELSISSIMO QUÆ PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. CAROLO,
Meklenburgici Ducatûs
Hæredi Illustrissimo, Principi Ve-
tustæ Gentis Henetæ, Sverini & Raceburgi;
Comiti Sverinensi, terrarum Rostochii
& Stargardiæ Domino;

Principi ac Domino suo
clementissimo

Hoc quicquid est primitiarum Academi-
carum, eâ qua fas est veneratione &
devotione, consecrat

Servus subjectissimus

JOHANNES Schuckmann /
Rostoch,



O. D. T. O. M. B. V.
P R O E M I U M.



Xposituro mihi nonnulla amicabili Philosophantium disquisitioni, nulla gravior, digniorve occurrebat materies, in qua vires ingenii exercerentur, quam incomparabile illud fabricæ Syllogisticæ artificium. Hujus quippe tanta effulget necessitas, tam incredibilis se commendat utilitas, ut nullæ disciplinarum Philosophicarum, imo nec ipsæ, penetrabile luminis naturæ acumen excedentes, quæstiones Theologicæ, argumentationum consequentiarumque legibus possint carere. Sive enim, quæstiones & controversias merè Theologicas, quarum veritas non aliundè, quam ex supernaturali revelatione, cognosci potest, sive illas, quæ partim Theologicæ partim Philosophicæ audiunt, eo quòd, cum ex supernaturali revelatione, tum ex lumine rationis, cognosci possunt, spectes, principia hæc rationis formalia, quæ ad doctrinam Syllogisticam pertinent, simpliciter sunt necessaria, & insigni utilitate, cum in confirmando, tum in confutando, nobilitantur, ut accuratissimè in incomparabili tractatu de usu principiorum rationis & Philosophiæ in controversiis Theologicis, decus illud nostræ Ecclesiæ, Plur. Rever. D. Joh. Mulæus, observat.

S. 2. Quamvis verò passim in compendiis ad nauseam, usquè hæc ipsa inculcentur, ut quilibet inde, ni fungum habeat pro cerebro, ipsum struendi Syllogismos, in quavis figurâ, modòque, artificium, reducendique quemlibet ad sua principia, *dist. a. sc. alterum de Omni, alterum de Nullo*, facili negotio imbibere,

A 2

queat,

queat, quia tamen rationes illius structurae & reductionis, propter
quas necessariò ita se habere debeat, communiter solent præteriri,
nunc sedet animo aliquorum rationes investigare, ut eo clariori ju-
bare veritas illorum, quæ in compendiis proponuntur, exsplen-
descat.

§. 3. Illud verò expediendum esse putamus per quæstiones
& responsiones. Et ne sine decenti quæstiones oberrent ordine
& confusè accumulentur, hæc præcipue servabimus, ut (I.) varia
moveamus circa *doctrinam Syllogismorum in genere*; ubi de Fun-
damentis duobus Syllogismorum, de materia, cum remota, tum
proxima; de formâ denique quæstiones formatas resolvemus.
(II.) Progressuri ad singulas Syllogismorum figuras, singulosquè
figurarum modos rationem reddere annitemur illorum, quæ de
his, eorumquè reductionibus operosè solent inculcari.

Interea, petimus, nostris DEUS annue coeptis.

SECTIO I.

De Fundamentis, Terminis, Proposi- tionibus, Figuris & Modis Syllogis- morum in genere.

*In hac Sectione quærentur XIV. duo circa fundamenta Syllo-
gismorum, tria de Terminis, quinque de Propositionibus,
& quatuor de Figuris & Modis.*

QUESTIO I.

An & cur duo numerantur Syllogismorum
Principia?

*De Funda-
mentis.*

Syllogismum omnem habere suum principium, patet ex eo,
quod Syllogismus omnis est quoddam principiatum, quod-
dam causatum, adeoque suum principium præsupponit.
Principium alicujus rei, dicitur id, unde res quocunque modo proce-
dit. Syllogismi principium igitur est, unde Syllogismus quo-
cunque modo procedit. Procedit ille partim à principis suis ma-
terialibus

terialibus, enunciationibus scilicet & terminis, partim à principiis formalibus, figurâ scilicet & modo certis. Et quia non quæcunque forma, quomodocunque in materiam illam introduci potest, proinde certum etiam habet principium regulativum, secundum quod, tanquam regulam, figura & modus in materiam ejus introducatur. Constat igitur Syllogismum, habere principia. Cum verò adseritur duo esse Syllogismorum principia, intelligendum illud est, non de principis materialibus & formalibus, sed de regulativis. Neque etiam existimandum est, omnem omnino Syllogismum duo illa habere principia, cum quilibet Syllogismus non nisi unicum habeat, sed quod, cum duo sint Syllogismorum genera, contradictorie opposita, quorum alterum constituunt Syllogismi affirmantes, alterum negantes, duo sint principia regulativa, quorum alterum sit norma & regula omnium Syllogismorum affirmantium, alterum verò negantium. *Syllogismus affirmans dicitur, cujus conclusio affirmans ex utraq; præmissâ affirmante infertur; Negans contra, cujus conclusio negans ex unâ præmissâ affirmante & alterâ negante colligitur.* Norma Syllogismi affirmantis dicitur **DICTIONE DE OMNI**, Syllogismi verò Negantis, **DICTIONE DE NULO**.

QUESTIO II.

Quid verò illa dicta sibi volunt, & numquid omnes Syllogismi secundum ea regulantur?

Respondetur. Duæ hic involvuntur quæstiones (α) quid velint hæc dicta? (β) an omnes Syllogismi ad ea quadrent? Circa primum dicendum, Dicta illa non esse simplices Enunciationes universales, sed quodlibet virtualiter integrum continere Syllogismum. Juxta Aristot. enim *de Omni dicitur prædicari, cum nihil potest subjecti sumi, de quo alterum non dicatur.* Atque adeo ad dictum de omni tres requiruntur propositiones. (1) *ut aliquid universaliter de subjecto affirmetur*; quod sit, quotiens subjecto licet præponere *totum omne quod est*, v. g. *omnis homo est animal. Homo est animal, Petrus est animal.* Unde non statim propositio est de omni, in qua vocula *omnis* subjecto est præfixa, v. g. *omnis essentia divina est Pater*, quia non licet salva fide dicere, *omne quod est essentia divina est Pater*: nec excluditur ab hoc di-

Et propositio indefinita vel singularis, modo possit subiecto præponi rō omne quod est. (2) *Ut aliquid subiecti primæ propositionis sumatur.* Per rō *aliquid subiecti non* intelligitur præcisè quoddam inferius in arbore prædicamentali, sed *quodlibet de quo subiectum primæ propositionis potest prædicari.* Hoc dicitur sumi, quando de eo subiectum affirmatur v.g. sit hæc prima propositio: Petrus est animal, & dicatur: hic loquens est Petrus. Sumitur, in secunda propositione aliquid subiecti, sive hic loquens, cum Petrus affirmatur de eo. (3) *Ut prædicatum primæ ideo affirmetur etiam de aliquo subiecti.* v.g. si his duabus:

Petrus est animal

hic loquens est Petrus

addatur illa tertia:

E. hic loquens est animal.

Habemus hic integrum. Syl-

logismum, in quo per subiectum intelligitur *medius terminus*, per aliquid subiecti, *minor*, & tandem illud alterum, quod de omni prædicatur, terminus *Major*. Et in eo Syllogismo major præmissa sequitur primum requisitum *Dicti de Omni*, minor; secundum, conclusio, tertium. *De Nullo dici est, cum nihil potest subiecti sumi, de quo alterum non negetur*, adeoque & hic tres requiruntur propositiones (1) *ut aliquid universaliter de subiecto sive medio negetur* (2) *ut medium affirmetur de aliquo subiecti sive minori termino.* (3) *ut major terminus negetur ideo de minori.* Dicta hæc tam sunt evidentiæ, ut nulla probatione indigeant: quis enim tam pertinax, ut concedat, omne omninò, quod est homo, esse animal, & tamen neget, Petrum, qui est homo, esse animal. Idem enim simul esse & non esse diceret: *esse*, quia in Universali jam tum hoc falsus est, *non esse*, dum deinde aperte negaret. Idem dicendum de Dicto de Nullo. Circa secundum dicendum (1) Syllogismos modorum 4. directorum primæ figuræ, evidenter quadrare ad hæc dicta, dum in majori præmissa primum, in minori secundum, in conclusione tertium, & quidem Barbara & Darii Dicti de Omni, Celarent & Ferio dicti de Nullo, requisitum spectè sequuntur. Dicendum (2) secundæ & tertiæ figuræ, nec non indirectos primæ figuræ, modos sequi quidem virtualiter & reductivè hæc dicta, ceterum non ita evidenter, ut si velis hæc dicta conspici in illis, reductione quadam opus habeas, ad primam figuram, ostensivâ. Reductio illa in Baroco & Bocardo peragitur conversione, ut vocant

vocant, per contrapositionem, ibi quidem Majoris conversione, hic majoris transpositione & conversione ut Baroco ad Ferio, Boecardo ad Darii reducuntur.

Vid. hæc de reductione infra quæstio finalis.

QUÆSTIO III.

Cur tres præcisè termini, (tres item propositiones) non plures, nec pauciores, ad quemlibet Syllogismum requiruntur? *De Terminis Syllogismi.*

Resp. Terminus hoc loco nil aliud est, quam subjectum & prædicatum alicujus propositionis. Dicuntur hæc termini, quia propositionis extremum sive terminus sunt. Ratio verò, cur tres præcisè requirantur, petitur ex indole dictorum de Omni & de Nullo, in quibus tantum tres termini requiruntur, (α) subjectum, (β) prædicatum, quod de subjecto illo universaliter sive affirmetur, sive negetur. (γ) aliquid subjecti. Ubi per subjectum, intelligitur terminus medius, per prædicatum terminus Major, & per aliquid subjecti, terminus minor. Pari modo ex his dictis apparet, cur tres præcisè enuntiationes ad quemlibet Syllogismum requirantur. Nam (α) debet aliquid de subjecto universaliter affirmari vel negari; quod facit præmissam majorem. (β) debet aliquid subjecti sumi, quod facit præmissam Minorem (γ) debet alterum de hoc aliquo subjecti vel affirmari vel negari, quod facit conclusionem.

QUÆSTIO IV.

Cur unus horum terminorum dicitur *Major*, alter *Minor*, tertius verò *Medius*?

Et

(Cur altera præmissa vocatur *Major*, altera *Minor*?)

Resp. Propter dignitatem, quam ratione situs habere debent, cum clarè ad dictum de Omni & Nullo regulantur. Sicut enim alias, qui subicitur alicui, inferior est eo, cui subicitur, & inferiorem eo occupat locum: ita terminus ille, qui semper subicitur reliquis, juxta præscriptum dictorum illorum, infimo stat loco, & ideo aliis est *Minor*. Contra verò terminus, qui ad normam dictorum illorum nunquam subicitur, sed semper subjecto supervenit, & præ-

& prædicatur, rectè dicitur summum obtinere locum, adeoque esse *Major aliis*. Tandem ille terminus, qui in unâ propositione prædicatur, & in alterâ subicitur, ille propter medium, quem inter Minorem & Majorem occupat locum, dicitur *medius terminus*, neque enim semper stat summo, neque semper imo, sed inter summum & imum medio loco. Quia igitur in dictis illis unus ex tribus terminis, semper subicitur (scilicet illud aliquid subjecti, quod & in Minore præmissâ & conclusione subicitur) meritò etiam *Minor* reliquis *terminis* audit: Porro quia id, quod universaliter affirmatur, vel negatur de subjecto, semper, & in Majori præmissâ, & in conclusione, prædicatur, meritò etiam vocatur *terminus Major*; Tandemque, quia subjectum semel subicitur, & in minori præmissâ prædicatur, meritò etiam & hoc dicitur *medius terminus*. A terminis hisce est, quod illa, quæ in naturali Syllogismo, cum medio habet Majorem, dicatur *Major præmissâ*, & illa, quæ cum medio habet Minorem, dicatur *propositio*, sive *præmissâ minor*, sive primo sive secundo loco posita fuerit.

QUESTIO V.

Cur terminus medius nunquam ingreditur conclusionem?

Et

Cur Major & Minor semel in præmissis ponuntur?

Resp. Et hujus rei ratio potest desumi ex dictis de *Omni* & *Nullo*. Quia enim hæc dicta volunt, ut in præmissis medium semel subiciatur, & deinde prædicetur; contra verò in conclusione de *Minori* Major inferatur, clarum est, medium terminum conclusionem non posse ingredi. Similiter & ratio ex dictis hisce desumitur, cur Major & Minor semel in præmissis, & semel in conclusione ponantur, medius autem bis in præmissis,

QUESTIO VI.

De Propositionibus,

Cur in nullo Syllogismo ambæ præmissæ possunt esse negantes; possunt autem esse ambæ affirmantes, vel altera affirmante, altera negans?

Resp. Ratio primæ est, quia si ambæ præmissæ negant, nequè ad dictum de *Omni* nequè de *Nullo* quadraret Syllogismus. Ratio secundæ,

secundi, quia ad *Dictum de Omni*, ad quod quadrat talis Syllogismus, utraque præmissa affirmans requiritur. Ratio tertii, quia ad *Dictum de Nullo*, ad quod quadrat talis Syllogismus, altera præmissa negans, altera affirmans requiritur.

QUÆSTIO VII.

Cur ex puris particularibus nil sequitur formaliter?

Resp. Quia rursus ille Syllogismus non quadraret ad *Dicta illa*, quorum utrumque vult, ut altera minimum præmissarum sit Universalis, sive affirmans, sive negans.

QUÆSTIO VIII.

Cur Conclusio debet imitari partem debiliorem?

Antequam Resp. *Observandum primò*, per partes hoc loco intelligi præmissas, & quia omnis Syllogismus habet duas præmissas, habere etiam duas partes. Harum partium præstantia & virtus ponderatur vel in Quantitate, vel in Qualitate. Quantitas est duplex: *Universalis & Particularis*. Qualitas essentialis est duplex: *affirmatio & negatio*. Inter has universale, cum plus includat, præponderat particulari, & præmissa affirmans, quia aliquid tribuit subjecto, præstantior habetur negante, quæ aliquid demit subjecto. Sæpe igitur fit, ut utraque præmissa sit æque præstans, i.e. æque universale, & æque affirmans, & tunc etiam conclusio eis est æqualis, scilicet affirmans & universalis. Interdum verò una præmissa est altera debilior, quando v.g. una est universalis, altera particularis, vel etiam una affirmans, altera negans. Et tunc conclusio imitatur partem debiliorem, i.e. habet eandem Quantitatem & Qualitatem quam habet pars debilior. Hinc in *Cesare* Conclusio est negans, sed tamen Universalis, in *Darii* Conclusio est particularis, sed tamen affirmans, in *Ferio* Conclusio & est particularis & negans. *Deinde* observandum, duas præmissas esse unam adæquatam Conclusionis causam. Jam verò, si in causâ aliqua infirmitas, quædam perfectionis carentia est, causa nequit illam perfectionem, quâ deditur ipsa, effectui dare, v.g. homo & brutum, non possunt perfectum generare hominem, secus verò mas & foemina. Unde si al-

tera præmissa particularis est, nequit illa cum alterâ universali, universalem conclusionem producere, tanquam se nobiliorem; si altera præmissa negans, nequit affirmantem inferre Conclusionem. In specie verò, cur ratione Qualitatis Conclusio imitetur partem debiliorem, ratio potest desumi ex Dicto de Nullo, quod vult, ut Conclusio sit negans. Et cur ratione Quantitatis particularem præmissam Conclusio debeat imitari, ratio etiam potest desumi ex subordinatione causæ Particularis ad Universalem. Quotiens enim causa Universalis & particularis, v.g. Deus & homo, concurrunt ad eundem effectum, totiens effectus speciem suam accipit à causa Particulari, hæc enim concursu influit limitatò, ita ut nequeat eòdem ad alios genere & specie distinctos effectus concurrere, & sic determinat Universalem causam, sic v.g. licet DEUS & homo concurrant ad generationem, effectus tamen in specie conveniunt cum homine, non cum DEO. Quotiens igitur Universalis & Particularis præmissa ad Conclusionem, tanquam effectum suum, concurrunt, totiens effectus sequitur causam Particularem in specie, & est Particularis.

QUÆSTIO IX.

Cur nequè plus, neq; minus debet esse in Conclusionem, quàm fuit in præmissis?

Resp. Hæc regula non est simpliciter intelligenda, sed cum accommodatione quâdam. Prius probatur, quia in præmissis sunt tres termini, in Conclusionem tantùm duo, Ergò semper plus est in præmissis & minus in Conclusionem. Posterius probatur, quia talia sunt subjecta, qualia permittuntur esse à prædicato. Intelligenda igitur regula hoc sensu: *Ex illis, quæ ex præmissis in conclusionem transferri possunt & debent, (qualia sunt minor & major terminus) nihil debet addi, nihil demi, adeoque totus major & minor terminus debet repeti, præteraquè nihil.* Ratio verò hujus effati desumitur rursus ex duobus illis Dictis, quæ volunt, ut major de minori, nihilquè aliud, vel affirmetur, vel negetur in Conclusionem.

QUÆSTIO X.

An omnis Syllogismus unicam tantùm inferre potest Conclusionem?

Et

Et
Si potest plures, quare?

Et

Quinam Syllogismi id possunt?

Resp. Duplici ratione potest Syllogismus inferre conclusio-
nem (1) *immediatè*; Cum illum Majorem terminum, qui erat in
præmissis, de minori termino, qui in præmissis erat, inferat, vel et-
iam cum Minorem inferat de termino majori, qui erant in præmissis.
Et ita, quilibet Syllogismus non nisi unicam potest inferre Con-
clusionem, Majorem quidem de Minori, omnes modi directi, mino-
rem verò de majori, duo modi indirecti, Fapelsmo, & Friselsmo infer-
runt. (2) *Mediatè*, cum beneficio alterius consequentiæ a syllogi-
sticæ quidem, bonæ tamen, aliquam inferat. Sunt autem tales con-
sequentiæ, *Equipollentia*, *Subalternatio* & *Conversio Conclusivæ*.
Sic v. g. in Barbara ex his præmissis: O rationale est risibile. O.
homo est rationalis, immediatè infero hanc conclusionem, E.
O. homo est risibilis. Sed *mediatè* possum plures inferre, v. g.
mediantè *Equipollentia* has. E. N. homo non est risibilis, & Non
quidam homo non est risibilis, item: Non non-nullus homo non est ri-
sibilis &c. Deinde mediantè *Subalternatione*: hanc, Ergo quidam
homo est risibilis. Et deniquè mediantè *Conversione* hanc: Ergo
quoddam risibile est homo. Sed non omnes modi æquè plures pos-
sunt mediatè inferre: sed *universales* possunt plures, quia illi
etiam possunt inferre subalternatas suæ Conclusioni immediatè,
quod nequeunt modi particulares. Et hæc est ratio, cur in primâ
figurâ Baralip, Celantes & Dabitis, non constituent peculiare mo-
dos indirectos; cur Baralip, nil aliud sit, quam Barbara, Celantes
quam Celarent, & Dabitis quam Darii, cum omnes hi modi per
Conversionem demum minorem de majori inferant, immediatè
verò possint majorem de minori in Conclusionem inferre. Si enim
in Barbara Conclusio convertatur per accidens, est modus Baralip,
sive Baralipton, & si in Celarent & Darii Conclusiones simpliciter
convertantur, sit ex illo Celantes, ex hoc Dabitis.

QUESTIO XI.

Cur duplex debet esse forma Syllogismi, & quid
utraque?

De Figuris
& Modis

B 2

Ad

Ad (1) Respond. Quia duplex est Syllogismi materia. Forma respondet materiæ: Duplex est materia Syllogismi, remotior & proxima. Illam constituunt termini, hanc propositiones. Forma terminis introducenda, est, ut secundum subjectionem & prædicationem legitimè disponantur; forma verò propositionibus tribus introducenda dicitur modus, quia certum modum, certamquè mensuram ponit ipsis enunciationibus; sicut enim non ex quovis ligno fit Mercurius, ita nec ex quarumquè enunciationum coitione oritur formalis Consequentia. Et hinc ad (2) Resp. FIGURAM esse certam medii termini in ratione subjecti & prædicati dispositionem cum Majori & Minori: MODUM verò esse certam Enunciationum in Quantitate & Qualitate dispositionem.

QUÆSTIO XII.

Quot sunt Figuræ, & cur tantum tres?

Resp. Quot modis variari potest dispositio medii termini, in ratione subjecti & prædicati, tot possunt constitui figuræ, ut colligitur ex præcedenti quæstione. Tribus autem modis potest illa dispositio variari. (1) Si medius semel subjiciatur, & semel prædicetur in præmissis. (2) Si de utroque & Majori & Minori in præmissis, adeoque bis, prædicetur. (3) Si utriusque, adeoque bis in præmissis, subjiciatur. Et hiuc constat, quot possint esse Figuræ, & cur tantum tres esse debeant. Ceterum circa primum dispositionis modum observandum, cum posse excogitari duplicem. (a) ut medius Majori subjiciatur, de Minori verò prædicetur. (b) Ut medius de Majori prædicetur & Minori subjiciatur. Prima dispositio, quia exactè congruit Dictis de Omni & Nullo, constituit demùm primam Figuram. Quod verò ad alteram illam attinet, tribui solet Galeno, eum talem dispositionem voluisse constituere quartam figuram, adeoque non tantum tres, sed quatuor dari Figuræ. Ceterum cum ad naturalem prædicationem requiratur, ut latius prædicetur de angustiori, & prædicatio illa contra naturam sit, in qua angustius de latiori prædicatur; Præterea medius terminus, ideò medius vocetur, quod sit inferior Majori, & Majori Minori, proinde hæc quarta Figura planè est contra naturam, quia medius terminus dum in Majori prædicatur, latior esse statuitur termino majori, & tamèn in minore præmissa dum subjicitur, inferior

rrior & angustior statuitur termino minore, adeoque medius sic majori est latior & minore angustior, cum tamèn angustior majori, & latior minore esse debebat. Unde est, quod cum idem terminus, qui in præmissis prædicatur vel subicitur, etiam prædicari vel subijci debeat in Conclusionè, juxta Dicta de Omni & Nullo, in hac quarta Figura, ordo ille planè invertatur, dum terminus, qui in majori subicitur, in Conclusionè prædicatur, & qui in minore prædicatur, ille in Conclusionè subicitur. Accedit, quod hæc quarta Figura nil aliud colligat, quam convertentem Conclusionis primæ figuræ, ceterum illa, ut supra dictum, mediatè in primâ figura inferitur, adeoque non constituit aliam, à primâ figurâ. Nec desunt, qui adferunt quartam figuram esse nil aliud, quam primam, in qua præmissæ sunt transpositæ. Si jam minor transferatur in locum præmissæ Majoris, quartam Figuram esse primam.

QUESTIO XIII.

Quæ ratio est ordinis inter tres Figuras, propter quam hæc sit prima, illa secunda, & ista Figura demum tertia?

Videri alicui poterat illud unicè hominum arbitrio relictum, adeoque perinde esse quamlibet quocunque loco collocare. Sed rationem subesse ex dicendis constabit. Notum sc. excellentiori inter alios primum meritò deberi locum; unde est, ut excellentiori inter figuras primus adsignetur locus. Jam verò illa, quæ primo loco ponitur, in quo medium, sc. majori termino subicitur, & de minori prædicatur, reliquis longè est nobilior. Nam (α) modi ejus affirmantes accuratè & ordine sequuntur præscriptum Dicti de Omni, & modi negantes, tenorem Dicti de Nullo. Reliquæ figuræ non sequuntur tam clarè hæc Dicta, sed potius deviant, dum altera medium, & de majori, & de minori prædicat, altera verò medium utrique subicit. (β) inferre potest conclusiones omnis generis, ut aded nulla Conclusio sit, quin in hac Figura inferri possit. Ast verò altera Figura nullas affirmantes, tertia verò nullas Universales inferre potest Conclusiones. Meritò igitur prima reliquis præfertur, tanquam perfectior & evidentior imperfectioribus. Ratio verò cur secunda tertiæ præponitur, est (γ) quia secunda minus abit à dictis, quam tertiâ. Nam secunda, quia habet omnes

modos negantes, non abit à Dicto de Omni, sed tantum à Dicto de Nullo, tertia verò ab utroque Dicto. (2) quia Figura, quæ universales Conclusiones infert, nobilior est illâ, quæ tantum infert Conclusiones particulares. Ratio, quia plus perfectionis est, universalem quam particularem inferre posse Conclusionem. (3) quia quamvis & tertia & secunda Figura in hoc conveniant, ut medium semel alieno loco ponant, & semel legitimo, nihilominus tamen secunda medium extollit, dum illum bis prædicat, & sic loco supremo collocat, tertia verò medium in suam dignitatem deprimat, dum bis subjicit, adeoque convenientius esse videtur, ut nihilominus illa, quæ nimium dignitatem medii extendit, illi præponatur, quæ nimium deprimat,

QUÆSTIO. XIV.

Quot sunt in universum Modi Figurarum. ?

Resp. Quia modus est dispositio enunciationum in Quantitate & Qualitate, totuplices erunt modi, quotuplex est Quantitas & Qualitas Enunciationum. Utraque autem est duplex: Ratione Quantitatis enim omnis propositio est Universalis vel Particularis, quorsum materialiter pertinent etiam Enunciationes indefinitæ & singulares. Ratione Qualitatis omnis Enunciatio vel est affirmans vel negans. Et sic in universum sunt quatuor modi, non plures. (1) *Universalis affirmans*, qui ex utrâque præmissa universali affirmante infert conclusionem universalem affirmantem. (2) *Universalis negans*, qui ex utrâque præmissa universali alterâ negante, affirmante alterâ, infert Conclusionem universalem negantem. (3) *Particularis affirmans*, qui ex utraque præmissa affirmante, alterâ universali, alterâ Particulari, vel etiam ex utraq; universali affirmante (ut Darapti, Baralip,) infert Conclusionem affirmantem particularem. (4) *Particularis negans*, qui vel ex utrâque præmissa universali (ut in Felapton, Celantes) vel alterâ universali, alterâ particulari, unâ negante, alterâ affirmante, infert conclusionem particularem negantem. Hi quatuor modi, & non alii, in Figuris dantur. Omnes quidem in primâ figura; duo verò in reliquis. In secundâ; uterque negans, *universalis & particularis*: In tertiâ uterque particularis; affirmans & negans.

SECTIO

SECTIO II.

De Prima figurâ, & ejus modis.

In hac Sectione quaerentur IX. Unicum de ipsa figurâ; quatuor de ejus modis in genere; & quatuor de modis ejus in specie.

QUESTIO I.

Cur hæc, quæ dicitur prima Figura; talem habet terminorum dispositionem, ut medius in propositione majori subjiciatur, & in assumptione de Minori affirmetur?

Respondetur.

Quia hæc inter reliquas est perfectissima figura, quæ clarè & accuratè per omnia quadrare debet ad principia regulativa, sive ad illa duo Dicta, de Omni & de Nullo. *De Figurâ ipsâ primâ.* Dicta autem illa, ut patet ex Sect. 1. q. 2. requirunt illam dispositionem, ut sc. in majori præmissa medius terminus subjiciatur termino majori, & in minore præmissa de termino minori prædicetur. Ut igitur clarè per omnia sit illis duobus Dictis conformis, necessariò talem terminorum dispositionem requirit, qualem Dicta illa præscribunt.

QUESTIO II.

Cur prima Figura præcisè habet quatuor modos, non pauciores, nec plures?

Cum dicitur in prima figura esse quatuor modos, intelligendum illud est de modis directis. Præter hos verò dantur etiam modi primæ figuræ indirecti. Intelligitur autem per modum directum ille, qui majorem terminum in Conclusionem de termino minore enunciare & inferre potest. Fit hoc dupliciter: (1) immediatè, si statim in Conclusionem infertur. Et hoc est in quatuor illis modis. (2) mediatè, cum immediatè quidem minor infertur de majori, sed mediante conversione illius Conclusionis major potest inferri & prædicari de minori. Tales numerantur tres modi, Baralip, Celantes, Dabitis, quos quidam modis indirectis annumerant. Per modum indirectum verò intelligitur ille, qui salvâ consequentiâ for.

De Modis primæ figuræ in genere.

tiâ formali majorem terminum, nequè immediatè nequè median-
te conversione Conclusionis, potest inferre de termino minore, sed
tantùm minorem de majori. Et tales modi nominantur duo, *Fa-
pesmo & Frisismo*. Si igitur quærat, quare tantùm quatuor
modi directi, qui immediatè majorem terminum de minori infe-
runt, in prima Figura dentur, *sc. Barbara, Celarent, Darii, Ferio*.
Resp. Rationem desumi ex numero Enunciationum. Quot enim
sunt Enunciationum species, tot debet prima, tanquam perfectissi-
ma figurarum, habere modos, ita, ut pro quâlibet Enunciatione
peculiarem concludendi modum habeat. Jam verò præter qua-
tuor non dantur aliæ Enunciationum species. Duæ sunt Univer-
sales Enunciationes, altera affirmans, negans altera. Duæ etiam sunt
particulares, altera affirmans, negans altera. Ergo totidem debent
esse modi, duo scilicet Universalem inferentes Enunciationem, ut
Barbara affirmantem, & Celarent negantem; & duo particularem,
ut Darii affirmantem, & Ferio negantem. Enunciationes indefi-
nitæ, & singulares, reducuntur ad Universales vel particulares.
Constat igitur quatuor, duos affirmantes, duos negantes, duos Uni-
versales, duos particulares modos, non plures, aut pauciores, in pri-
mâ Figurâ dari posse.

QUESTIO III.

Cur verò modi hoc ordine: Barbara, Celarent,
Darii, Ferio, recensentur?

Resp. Non hoc sine ratione fit. Quia enim Enunciationes
Universales reliquis præferuntur, ideo *Barbara & Celarent* reli-
quis modis particularibus præponuntur. Et quia Universalis Af-
firmans dignior universalis negante, proin *Barbara* ante *Celarent*
collocatur. Idem dicendum de *Darii & Ferio*, ille enim, qui affir-
mat, priorem tenet locum præ hoc, qui negat.

QUESTIO IV.

Cur in omnibus modis primæ Figuræ directis Major
præmissa debet esse Universalis, & nunquam
particularis?

Ad hoc ut præmissa Major dicatur Universalis, non sufficit,
& immediatè habeat subjecto præfixum *tò omnis vel omne*, sed re-
quitur,

quiritur, ut habeat, vel saltem possit habere illud, mediantebus his vocibus, *quod est*, h. m. *Omne quod est*, *Nullum quod est*. Ratio hujus adfertionis desumitur ex duobus illis Dicitis, de Omni & de Nullo, quorum illud vult, ut prædicatum in primâ propositione universaliter affirmetur de omni subjecto; hoc verò ut prædicatum negetur de omni, nec de ullo possit affirmari.

QUESTIO V.

Cur in omnibus modis primæ Figuræ minor debet esse affirmans?

Resp. Minor censetur affirmans, cum copula principalis non afficitur unâ, vel etiam tribus negationibus. Variè autem copula principalis negatione afficitur (1) *Si immediatè ipsi apponatur*, v.g. Homo non est lapis. (2) *Si in signo, subjecto præposito, sit*, v.g. Nullus homo est lapis. (3) *Si ante signum expressè ponatur*, v.g. Non omnis homo est doctus. (4) *Si latet in signo exclusivo, subjecto præfixo*, v.g. solus homo est animal. Ubi tamen notandum (a) non statim illam, quæ videtur copulæ principali habere præfixam immediatè negationem, esse negantem. Sic Minor in hoc Syllogismo non est negans: Quicquid non est animal, non est homo. Lapis non est animal. Ergo. Ratio, quia *tò est*, cui particula *Non* præfigitur, non est copula principalis, sed potius *tò non est animal*, pertinet ad prædicatum, adeoque vera copula subintellegitur, quæ si exprimitur, talis erit Minor. Lapis est id, quod non est animal. (b) Propositionem exclusivam exclusi subjecti affirmantem, qualis est: *Solus homo est animal*, nec simpliciter esse affirmantem, nec negantem, sed categoricas duas, affirmantem & negantem, includere, ita enim exponitur: *Et homo est animal, & quod non est homo, non est animal*. Si jam locum Minoris occupet in Syllogismo, tunc aut supponitur pro affirmante, quam includit, aut pro negante. Si pro affirmante, potest esse minor in Syllogismo primæ Figuræ, si pro negante, non potest. An verò pro affirmante vel negante supponat, videri potest ex Conclusionem, si enim Conclusio inferatur eodem modo exclusiva, supponebatur pro negante, & ideo vitiosa est collectio; sin verò Conclusio non exclusiva inferatur, supponebatur pro affirmante, & in illo Syllogismo nil desideratur. Ratio verò cur minor debeat esse affirmans, cum

C

in mo.

in modis affirmantibus, tùm in negantibus, desumitur ex Dictis de Omni & Nullo, utrumquè enim postulat, ut in secunda propositione aliquid subjecti sumatur, id est, ut subjectum primæ de aliquo affirmetur. vid. Sect. 1. quæst. 2.

QUÆSTIO VI.

De Modis
primæ Fi-
guræ in
specie.

Cur in Barbara utraque præmissa debet esse Universalis & affirmans?

Resp. Ideo *Universalis*, quia aliàs deberet inferri Conclusio particularis, imitaretur enim debiliorem partem. Ideo *affirmans*, quia aliàs Conclusio esset negans, cum rursus imitari deberet partem debiliorem, per Sect. 1. quæst. 8. Ut igitur possit *Universalis affirmans* inferri Conclusio, omninò necessum est, ut utraque præmissa talis sit.

QUÆSTIO VII.

Cur in Celarent, utraque præmissa debet esse Universalis, & quidem *major* negans, *minor* verò affirmans?

Resp. Utraq; debet esse *Universalis*, quia debet inferri Conclusio *Universalis*, quæ aliàs inferri nequiret. Et quidem altera præmissarum debet esse *affirmans*, altera *negans*, non verò *ambæ affirmantes* aut *negantes*, quia si essent *ambæ affirmantes*, Conclusio non posset esse *negans*, per quæst. 6. Sect. 1. vel si *ambæ negantes* essent, nihil sequeretur, cum ex puris negantibus nil sequatur. Sect. 1. quæst. 6. Ceterum *Minor* non potest esse *negans*, ut patet ex quæst. 5. Sect. 2. Ergo *Minor* debet esse *affirmans*, & quia altera necessariò debet esse *negans*, proinde *major* necessariò erit *negans*.

QUÆSTIO VIII.

Cur in Darii utraque præmissa est *affirmans*, & quidem *minor particularis*, *major* verò *Universalis*?

Resp. Utraque debet esse *affirmans*, quia Conclusio inferenda est *affirmans*, aliàs enim si altera præmissarum esset *negans*, Conclusio esset *negans*, sequeretur enim partem debiliorem. *Minor* autem est *particularis*, & non *major*, quia ad Dictum de Omni requiri-

quiritur necessariò primâ propositio Universalis, ut patet ex Sect. 1. quæst. 2. De secunda propositione verò nil determinat Dicitum de Omni, adeoque vi hujus Dicit, perindè est sive minor sit Universalis sive particularis. Nihilominus hic minor non debet esse Universalis, sed est particularis, quia Conclusio debet esse particularis. Non autem est Particularis in primâ Figurâ, nisi imitetur partem debiliorem. Si jam minor etiam esset universalis, non esset altera pars debilior. Major autem ut visum, non potest esse debilior pars. Ergo necessariò id erit minor.

QUESTIO IX.

Cur in *Ferio Minor* præmissa est affirmans & particularis; Major verò negans & Universalis?

Resp. Quia Conclusio negans debet inferri. Ergo necessariò altera præmissarum est affirmans, altera negans *sect. 1. q. 6.* Sed *Minor* nequit esse negans per *quest. 5. Sect. 2.* Major autem potest esse negans, per primum requisitum Dicit de Nullo. *Sect. 1. quæst. 2.* Ergo (1) *Minor* est affirmans & Major negans. (2) quia non tantum negans, sed etiam Particularis debet inferri Conclusio. Ergo necessariò altera præmissarum in primâ Figurâ debet esse Particularis. Nam ex utrâque Particulari nil sequitur per *quæst. 7. Sect. 1.* & ex utrâque Universalis Conclusio sequitur Universalis. Non verò potest Major præmissa esse Particularis, per *quæst. 4. Sect. 2.* Ergo Minor necessariò est Particularis.

SECTIO III.

De Secunda Figura ejusquè modis.

In hac sectione querentur novem, quinque circa modos ejus in genere, & quatuor circa reductionem modorum secundæ Figuræ ad modos primæ figuræ

QUESTIO I.

Quomodo modi secundæ Figuræ abeunt à Dicit de Nullo?

C 2

Respon-

De modis
secundæ Fi-
guræ in ge-
neræ.

Respondetur,

Regulæ omnium modorum secundæ Figuræ est Dictum de Nullo, quia omnes ejusmodi sunt negantes, affirmans Nul-
lus. Ad hoc Dictum requiruntur, ut constat ex quæst. 2. Sect. I. tria (1) ut Major terminus de medio universaliter negetur. (2) Ut medius affirmetur de Minori termino (3) ut Major negetur de Minori termino. Abit jam secunda Figura in omnibus suis modis (α) à primo requisito, dum medium terminum ponit loco prædicati in præmissa Majori. (β) In Camestres & Baroco præterea, dum in Majori præmissa medium terminum Universaliter affirmat de Majori, cum Majorem deberet negare de medio Universaliter. (γ) In Minori Præmissa Camestres & Baroco abeunt, dum negant medium de Minori, cum deberent affirmare. Et sic in modis Camestres & Baroco ter deficit, ceterum in modis Cesare & Festino semel. Hi igitur defectus debent corrigi, propter eos debent reduci, & idèd illò, quo communiter definitur, modo debent reduci ad primam Figuram.

QUESTIO II.

Cur in secunda Figura ex puris affirmantibus
nil sequitur?

Et

Cur in secunda Figura soli possunt negantes Syllogismi
formari, nulli affirmantes?

Resp. (1) A posteriori, quia in Syllogismis affirmantibus hujus Figuræ non est formalis consequentia, sed potest ex præmissis veris falsa inferri Conclusio. (2) quia Syllogismi affirmantes hujus Figuræ non quadrant ad Dictum de Omni, quod patet, quia nequeunt reduci ad primam Figuram. Hoc verò ita potest ostendi; Omnis Syllogismus affirmans quadrare debet ad Dictum de Omni. Quadrare autem potest ad illud (1) evidenter & directè, cum in præmissa Majori primo requisito, in Minori, secundo, in Conclusio-
ne tertio requisito Dicti de omni respondet. Et ita quadrant modi directi primæ Figuræ affirmantes Barbara & Darii ad illud Dictum (2) obscurius & reductivè, quando factà reductione ad modum aliquem (Barbara vel Darii) ostenditur ejus congruentia ad hoc

hoc Dictum. Reductio illa peragitur *Conversione & transpositione* propositionum. Deinde omnis Syllogismus affirmans, utramque præmissam habet affirmantem. His suppositis, dico: aut utraque præmissa affirmans est Universalis, aut *quædam tantum*, aut Nulla. Si *utraq*ue præmissa Syllogismi affirmantis est Universalis, non potest reduci, quia Conclusio ejus est Universalis. Sed præmissæ Universales affirmantes convertuntur per accidens in Particulares affirmantes. Ex præmissa autem vel utrâque vel unâ particulari in prima Figura non potest inferri Conclusio universalis. Si *una præmissa est Universalis, altera Particularis*; tunc aut Major est Particularis, aut Minor. Si Major, illa nequit in prima Figura manere Major, sed debet fieri Minor, adeoque Minor præmissa Universalis secundæ Figuræ debet in prima Figura fieri Major, sed & hæc debet converti; Si autem convertitur, fit etiam Particularis. Et sic Syllogismus in prima Figura esset ex puris Particularibus. Si Minor, eadem manet difficultas; nam Major Universalis affirmans converti debet, sed convertitur in Particularem. Hæc autem, nequit in prima Figura esse Major. *Quod si denique, neutra præmissa est Universalis, sed ambæ Particulares, inepta est consequentia, quia ex puris Particularibus nil sequitur per Secti. quæst. 7.*

QUÆSTIO III.

Cur secunda Figura præcisè habet quatuor Modos, non plures, nec pauciores?

Resp. Suppono, secundam Figuram habere tantum modos negantes, *per questionem præcedentem*. Omnis propositio negans aut est Universalis negans, aut Particularis negans, saltim æquivalenter. Et hinc sunt duo modi Syllogismorum secundæ Figuræ, alter qui potest inferre Conclusionem Universalem negantem, alter particularem negantem. Porro omnis Conclusio infertur ex duabus præmissis. Universalis ex præmissis Universalibus, Particularis ex altera Universali, altera Particulari. Hinc Conclusio Universalis negans infertur aut ex Majori Universaliter negante, & Minore Universaliter affirmante; aut etiam ex Majori Universaliter affirmante & Minori præmissa Universaliter negante; Si *illud*, habetur modus *Cesare, si hoc*; habetur *Celarent*. Similiter Conclusio Particularis negans, aut infertur ex Majori præmissa ne-

gante & Minori affirmante, aut ex Majori affirmante, & Minore negante; Si illud habetur, modus *Festino*, si hoc, modus *Baroco*. Et sic habentur quatuor modi secundæ Figuræ: quia autem Conclusio negans non potest ex duabus præmissis affirmantibus, aut ex duabus negantibus inferri, sed ex una præmissa affirmante, & altera negante, hæc autem duobus tantum modis possunt permutari, sequitur, non posse plures modos secundæ Figuræ dari.

QUÆSTIO IV.

Potestne ratio convenientiæ dari, quare modi secundæ Figuræ hoc ordine *Cesare*, *Camestres*, *Festino*, *Baroco*, enumerentur?

Resp. Fortè est hæc: *Cesare* & *Camestres* reliquis duobus præponuntur, quia Universales possunt inferre Conclusiones, reliqui tantum particulares. Universales autem modi sunt digniores Particularibus. *Cesare* præponitur *Camestres*, quia propius accedit ad Dictum de Nullo, ab it enim tantum in unico ab eodem, *Camestres* verò in tribus, per quæst. 2. Sect. 3. Accedit, quod Conclusio in *Cesare* statim sequatur in dolem primæ præmissæ, in *Camestres* demum secundæ, unde hic modus secundo, ille primo loco convenienter ponitur. *Festino* etiam præcedit modum *Baroco* propterea eadem rationes. Longius enim ab it *Baroco* à Dicto de Nullo, & demum in hoc modo præmissam minorem imitatur Conclusio, in *Festino* verò Majorem.

QUÆSTIO V.

Cur in secunda Figurâ præmissa major debet esse Universalis in omnibus modis.

Resp. Modi secundæ Figuræ sunt duplices: Alii inferunt Conclusionem Universalem, ut *Cesare* & *Celarent*; alii inferunt tantum Conclusionem Particularem ut reliqui duo. De modis, quibus Conclusio Universalis est inferenda, responsio est in promptu. In illis enim ideo nequit major esse particularis, quia ex una præmissa Particulari non potest inferri Conclusio Universalis, sed hæc requirit utramque præmissam, adeoque etiam Majorem, Universalem. De modis verò quibus particularis negans Conclusio inferenda dubium potest moveri. Sicut enim dantur illi duo, *Festino*
& *Baro*

& Baroco, quorum ille habet Majorem Universalem negantem, & Minorem Particularem affirmantem; hic verò Majorem Universalem affirmantem & Minorem Particularem negantem, ita videntur duo aliidabiles, quorum prior ex Majori Particulari affirmante, & Minori Universaliter negante, posterior ex Majori Particulariter negante, & Minore Universaliter affirmante, inferre videtur Conclusionem Particularem negantem v g. *Quidam homo est animal. N. lapis est animal. Ergo. Q. Lapis non est homo.* Item. *Q. homo non est lapis. O. Adamas est lapis. Ergo. Q. Adamas non est homo.* Sed in illis Syllogismis quorum Major in secunda Figura est Particularis, nulla est formalis consequentia. Ratio (1) quia in simili forma ex veris præmissis falsa potest colligi Conclusio. Quod enim attinet ad primum, sit tale exemplum. *Quidam homo habitat Rostochii. N. Indus habitat Rostochii. E. quidam Indus non est homo.* Quod ad secundum, esto tale exemplum. *Quoddam animal non est homo. Omnis Indus est homo. Ergo quidam Indus non est animal.* Ratio (2) quia non quadrant ad Dictum de Nullo, quod patet, quia nequeunt reduci ad aliquem Syllogismum primæ Figuræ. Quod enim attinet ad primum, cujus Major est Particularis affirmans, Minor Universalis negans, deberet ille, ostensivè reduci ad Ferio. Sed eò nequit reduci; nam quia Major est Particularis affirmans, deberet illa transponi & fieri Minor; Minor verò deberet transponi, & simpliciter converti. (Ratio verò hujus est, quia Dictum de Nullo vult, ut aliquid de Medio Universaliter negetur, & medium de altero affirmetur, quod fit, si Minor cum conversione simplici fiat Major præmissa.) Quod si fiat, hic emergit Syllogismus: *N. animal est lapis. Quidam homo est animal. Ergo. Q. homo non est lapis.* In quo Syllogismo non infertur eadem Conclusio, neque ejus convertens; illa enim *Q. lapis non est homo*, non potest converti cum formali consequentia, in hanc: *Quidam homo non est lapis*, sed per contrapositionem demum in hanc: *Quoddam non homo non est non lapis*, & per æquipollentiam, *quoddam non homo est lapis*. Quod verò attinet ad secundum, ille nequit reduci, quia Major illa Particularis negans, nequè Majoris, nequè Minoris locum in Ferio potest habere.

QUE.

De Redu-
ctione mo-
dorum se-
cundæ Fi-
guræ ad
primam.

QUESTIO VI.

Cur Syllogismi secundæ Figuræ debent reduci,
& in quonam reductio illa consistit?

Sicut is, qui in devia abit, reductione indiget, ita Syllogismi, cum à regula sua defleant ad eandem reduci debent. Jam verò omnes Syllogismi secundæ Figuræ deviant à regulâ suâ, à Dicto de Nullo per Q. I. sect. 3. Tunc igitur dicuntur reduci, quando corrigitur ille defectus, & quando rursus suæ regulæ conformantur. Quia a. Syllogismi quatuor modorum primæ Figuræ exactè respondent regulæ suæ, proinde cum ex Syllogismis secundæ Figuræ fiunt Syllogismi primæ Figuræ, eandem Conclusionem, vel saltem ejus convertente inferentes, tunc dicuntur *reduci*. Fiunt autem ex Syllogismis secundæ Figuræ Syllogismi primæ Figuræ, vel solâ conversione, vel etiam conversione & transpositione simul.

QUESTIO VII.

Cur Cesare & Camestres ad Celarent, Festino autem ad Ferio reducitur?

Resp. Ad Barbara & Darii nullus modus secundæ Figuræ potest reduci, quia modi secundæ Figuræ sunt negantes, adeoque ad Dictum de Nullo debent reduci. At Barbara & Darii habent pro regula Dictum de Omni. Porro Cesare & Camestres idè nequeunt ad Ferio reduci, quia habent Conclusiones & præmissas Universales, reduci igitur debent ad modum cujus præmissæ & Conclusio est Universalis: Hic autem est Celarent. Festino autem, idè debet reduci ad Ferio, quia altera ejus præmissa est particularis affirmans, & Conclusio Particularis negans. Talis autem est Ferio, & non alius primæ Figuræ modus. Et propterea sunt inventæ consonantes initiales modorum, respondentes consonis capitalibus modorum primæ Figuræ.

QUESTIO VIII.

Cur Cesare & Festino eodem modo, & quidem per solam Conversionem simplicem reducuntur?

Resp. Quia uterque in eodem, eoque unico, abit à Dicto de Nullo, dum in majori præmissa Universalis negativa medium prædicat uterq; Ergo si illud medium subjiciatur universaliter, hic defectus

fectus est sublatus, & illi modi reduci. Si autem medium universaliter debet subji, major debet simpliciter converti.

QUÆSTIO IX.

Cur verò ad Camestres reductionem tria requiruntur?

Resp. Ut Camestres reducatur tria requiruntur. (1.) ut Major transponatur, fiatq; Minor, Minor verò fiat Major. (2.) ut Minor simpliciter convertatur cum sit Major (3.) ut Conclusio etiam simpliciter convertatur. Ratio horum, quia Camestres in tribus abit à Dico de Nullo, per Q. 1. Sect. 3. Ut igitur Major fiat Universalis negans in prima Figura Major debet transponi, ex Universalis enim affirmante, si simpliciter convertatur, nequit fieri Universalis negans. (1) ut Minor possit fieri Major, simpliciter debet converti (2) ut Major inferatur de Minori, Conclusio etiam debet simpliciter converti.

SECTIO IV.

De Tertia Figura.

In hac Sectione quaerentur septem: quatuor, circa modos ejus in genere, & duo circa modos in specie, tandem una de modis Baroco & Bocardo movebitur quaestio.

*De modis
tertia Fi-
gura in
genere.*

QUÆSTIO I.

Cur tertia Figura nullum habet modum Universalem Conclusionem inferentem, sed omnes inferunt particularem?

Resp. Quia modus tertiae Figuræ Universalis inferens Conclusionem, non quadrat ad Dico de Omni & Nullo. Quod probatur, quia ad nullum modum primæ Figuræ reduci potest. Hoc ut facilius percipiatur, suppono, modos tertiae Figuræ esse in duplici differentia: duo enim habent utramq; præmissam Universalem, ut Darapti & Felapton, quatuor verò habent unam præmissam Universalem, & alteram particularem, ut Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. De quatuor his posterioribus modis res est in propeculo, particularis

D

enim

enim non potest fieri per conversionem Universalis, adeoque cum ad hoc, ut Conclusio Universalis in primâ Figurâ inferatur, requiratur utraque præmissa Universalis, non potest in his modis Conclusio Universalis inferri. Quod attinet ad reliquos duos modos, ubi utraque præmissa est Universalis, eorum alter haberet utramque Universalem affirmantem, ut Darapti; sed altera Universalis affirmans, v. g. Minor est convertenda, ut quadret ad Dictum de Omni, convertitur autem per accidens in Particularem affirmantem. Ergo non potest inferre Conclusionem Universalem affirmantem, Conclusio enim imitatur partem debiliorem. Alter verò habet alteram præmissam Universalem negantem; non *Minorem*, quia hæc in tertia Figura nequit esse negans, ut mox probabitur. Ergo *Majorem*. Major autem manet in prima Figura, & sic minor Universalis affirmans conversa per accidens fit Particularis. Ex Minori autem Particulari in prima Figura non potest inferri Conclusio Universalis.

QUESTIO II.

Cur tertia Figura præcisè habet sex Modos?

Suppono, tertiam Figuram nullum habere modum Universalem, per Q. I. Sect. 4. sed tantum Particulares. Omnis autem modus Particularis, vel est affirmans, qui affirmantem, vel negans, qui negantem infert Conclusionem. Conclusio autem Particularis affirmans dupliciter potest inferri (1) Ex duabus præmissis Universaliter affirmantibus, & sic habetur Darapti (2) ex una præmissa Universaliter & altera Particulariter affirmante. Et hoc rursus dupliciter: aut enim Major est Particularis, & Minor Universalis affirmans; aut etiam Major est Universalis & Minor Particularis affirmans. Si illud habetur *Disamis*, si hoc, *Datifi*. Ex quibus constat tres, & non plures posse esse modos affirmantes tertiæ Figuræ. Conclusio etiam Particularis negans, dupliciter potest inferri (1) ex duabus præmissis *Universalibus*, quarum altera neget Universaliter altera affirmet; & sic habetur *Felapton* (2) ex unâ præmissa Universaliter affirmante & altera Particulariter negante. Hoc verò rursus *dupliciter*, aut enim Major est Particularis negans, aut Minor, si illud, habetur *Bocardo*, si hoc, *Ferison*. Ex quibus constat, tres & non plures posse esse modos negantes tertiæ Figuræ, adeoque sex in Universum esse modos tertiæ Figuræ, tres affirmantes, & tres negantes.

QUÆ.

QUÆSTIO III.

Cur Modi tertiæ Figuræ ita numerantur: Darapti, Felapton, Disamis, Datifi, Bocardo, Ferison?

Resp. Sicut in reliquis Figuris, ita & hic modi, quorum utraq; præmissa est Universalis, præponuntur illis, quorum altera præmissa est Particularis. Et hinc Darapti & Felapton reliquis præponuntur. Et sicut in prima Figura Barbara præponitur Celarent, quia utraque præmissa in Barbara est Universalis affirmans, ita etiam propter eandem rationem Darapti præponitur $\tau\hat{\omega}$ Felapton. Porro sicut Darii præponitur Ferio, quia est modus affirmans, ideo Disamis & Datifi $\tau\hat{\omega}$ Bocardo & Ferison. Et quia in Disamis Conclusio statim Majorem tanquam primam imitatur præmissam, in Datifi demum Minorem s. secundam, ideo Disamis præponitur $\tau\hat{\omega}$ Datifi, & ob eandem rationem Bocardo primum præ Ferison occupat locum; in Bocardo enim Conclusio solam Majorem, in Ferison verò ex parte Majorem, ex parte Minorem imitatur.

QUÆSTIO IV.

Cur Minor in tertia Figura nequit esse negans, sed semper est affirmans?

Resp. Quia si Minor esset negans, non quadraret Syllogismus ad Dicta de Omni vel Nullo, cum non posset reduci ad aliquem modum primæ Figuræ. Hoc verò ita ostendo: Minor tertiæ Figuræ, excepto modo Disamis, nunquam transponitur, sed cum reducitur ad modum primæ Figuræ, manet minor, & tantum convertitur. Si autem esset negans, tunc esset aut Universalis aut Particularis negans. Si esset Universalis negans, converteretur simpliciter, & maneret Enunciatio negativa, adeoque non posset esse Minor Syllogismi primæ Figuræ, utpotè quæ non potest habere minorem negantem, per sect. 2. Q. 5. Sin esset Particularis negans, posset equidem converti per contrapositionem, & per æquipollentiam posset fieri affirmans, ceterum sic alia planè in prima Figura inferretur Conclusio, quam erat in Syllogismo reducendo tertiæ Figuræ, v. g. sit Syllogismus tertiæ figuræ.

D 2

O homo

O Homo est animal
Q. homo non est lapis.
E. Q. lapis non est animal

Hic si reducatur in Darii est talis:
O homo est animal
Quoddam quod non est lapis
est homo.
E Quoddam quod non est lapis
est animal.

Quæ conclusio aliud habet subjectum, aliamquæ Qualitatem, quam
Conclusio Syllogismi tertiæ Figuræ. Quod ad modum Disamis at-
tinet, certum est, illum regulari ad Dictum de Omni adeoque affir-
mantem inferre Conclusionem, si autem Minor ejus transposita in-
locum Majoris esset negans, non posset affirmans, sed negans inferri
Conclusio.

QUÆSTIO V.

De modis
tertiæ Fi-
guræ in
specie.

Cur tres Modi affirmantes, Darapti, Disamis, & Da-
tisi ad Darii, & quomodo, reducuntur?

Resp. Ideo reducuntur ad Darii, quia inferunt Conclusionem,
Particularem affirmantem. Ad eum modum primæ Figuræ
debent reduci, exceptò Bocardo, qui similem in Quantitate & Quali-
tate infert Conclusionem. Talem autem infert solus Darii; In spe-
cie verò, quia *Darapti* in solâ minore abit à Dicto de Omni, dum id,
quod prædicari debebat, medium subjicit, proinde per solam con-
versionem Minoris reducitur, & quia Minor est Universalis affirmans,
quæ convertitur per accidens, proinde per conversionem per acci-
dens Minoris, quæ mutatur in particularem affirmantem. *Disamis*
verò in tribus abit à Dicto de omni (1) enim Major est Particularis
(2) minoris loco ponit eam, quæ debet esse Major præmissa. Et ideò
(3) in Conclusionem Minorem terminum infert de Majori. Hinc per
tres mutationes reducitur (a) dum Minor transponitur & fit Major
præmissa (β) & quia Major debet esse Minor, medius terminus de-
bet esse prædicatum, & ideo Major convertitur; & quia est Particu-
laris affirmans, convertitur simpliciter (γ) denique, ut Major infera-
tur de Minori, Conclusio etiam debet converti, quæ, quia est Particu-
laris affirmans, convertitur simpliciter. *Datisi* denique in sola præ-
missa Minore abit à secundo requisito Dicti de Omni, dum medium
terminum, quem prædicare debebat, subjicit, unde quia est Particula-
ris

ris affirmans, reducitur per solam conversionem simplicem præmissæ Minoris. Et hinc petitur ratio cur literæ initiales modorum respondeant initialibus primæ figuræ modorum.

QUESTIO VI.

Cur Felapton & Ferison ad Ferio, & quâ ratione reducuntur?

Ideo reducuntur ad Ferio, quia Conclusionem Particularem negantem inferunt, qualis non nisi in Ferio, ut exactè ad Dictum de Nullo quadrent, colligi potest. Ceterum quia in unico, scilicet in Minori præmissâ, abeunt à Dicto de Nullo, proinde sola Minor corrigi debet; In specie verò, quia in Felapton non tantùm Major, sed etiam Minor est Universalis, Major autem necessariò debet esse Universalis, Minor autem si per accidens convertatur, potest fieri Particularis affirmans, proinde Minor debet per accidens converti. In Ferison verò, quia Minor est Particularis, debet illa simpliciter converti, ut medius terminus juxta Dictum de Nullo prædicatum fiat.

QUESTIO FINALIS.

Quid habendum de Reductione Baroco & Bocardo?

Aristoteles hos modos non nisi per impossibile reduxit, dum ex Conclusionis contradictoriâ & alterâ præmissâ infertur in prima Figura contradictoria alterius præmissæ. Recentiores tamen nonnulli existimant, hos modos posse etiam offensivè reduci, Baroco ad Ferio, Bocardo verò ad Darii, & ideo etiam ut literæ modorum capitales corresponderent, illum vocant *Facrono*, hunc *Docamroc*. Ut, quid sentiendum, rectius constet, primò ostendendum, cur juxta Aristotelem nequeant reduci: Deinde quomodo juxta recentiores dicantur offensivè reduci; tertio nostram proponemus mentem.

Quantum ad primum, sciendum, omnem reductionem offensivam peragi transpositione præmissarum, & conversione. Conversionem verò illam juxta Aristotelem esse duplicem, simplicem & per accidens. Ceterum his mediis dicti modi nequeunt offensivè reduci. Nam in Baroco Major est Universalis affirmans, quæ non nisi per ac-

D 3

cidens

cidens in particularem affirmantem convertitur; Illa verò nequit in primâ Figurâ esse præmissa Major, sed tantum Minor. Si igitur debet esse Minor, tunc Minor in Baroco debet fieri Major, sed illa si retineatur, nequit, quia est Particularis; nequè etiam potest converti, sive per accidens, sive simpliciter. Ergo quia neutra præmissa potest locum habere in prima Figura, non potest ostensivè reduci. Quod ad Bocardo attinet, ibi rursus propositio Major nequit converti, neque ipsa potest esse vel Major vel Minor præmissa in prima Figura, non Major, quia est Particularis, non Minor, quia est negans. Ergo nequit ad primam Figuram ostensivè reduci.

Quantum ad secundum, sciendum: Recentiores habere quandam conversionis speciem, quam vocant conversionem per contrapositionem, qua ex finitis extrema fiunt infinita, vel negata. Sic docent converti posse Universalem Affirmantem & Particularem negantem. v. g. *Omnis homo est animal*: convertitur ita: *O non animal est non homo*, s. *omne quod non est animal, non est homo* h. e. *Nullum quod non est animal, est homo*, ITEM: *Q. homo non est doctus*, convertitur ita: *Quoddam non doctum, non est non homo*, & per Equipollentiam, *quoddam quod non est doctum, est homo*. Ex quibus patet (1) Universalem affirmantem hoc conversionis genere posse converti in Universalem negantem, de infinito sive negato subiecto. (2) Particularem negantem converti posse in particularem affirmantem de subiecto negato. Quibus suppositis, concludunt; Majorem in Baroco posse converti in Universalem negantem, & Minorem in particularem affirmantem, adeoque posse reduci ad Ferio. Porro in Bocardo Minor potest transponi, & Major potest in particularem affirmantem converti, adeoque sic fieri Syllogismus in Darii, ita ut Conclusio sit convertens Conclusionis in Bocardo.

Quantum ad tertium, putaverim conversionem per contrapositionem propriè loquendo non esse conversionem Enunciationis. Ratio, quia propriè loquendo propositio tunc demum dicitur converti, quando eadem in conversâ & convertente sunt extrema, quæ converti & inverso ordine collocari dicuntur; Nam si v. g. aliud extremum assumatur, vel priori aliquid addatur, propriè loquendo non est conversio prioris, sed novi cujusdam appositio. Quia igitur conversio per contrapositionem non retinet utrobiquè eadem extrema; facit enim ex finitis infinita, vel negata, proinde non est propriè dicta conversio

versio. Et hinc consequenter, quia *Baroco* in primâ figurâ in omnibus propositionibus mutat extrema, itidem Qualitatem in præmissis, dum ex Majori Universali affirmante, facit Universalem negantem, & ex Minori negante, facit particularem affirmantem; item quia *Bo-cardo* ex Majori negante facit Minorem affirmantem, & ex Conclusionem negantem Conclusionem affirmantem, dici posse videtur, non tam hic esse conversionem, quam ex aliis planè præmissis in Figurâ primâ Conclusionis illationem. Sed hæc aliis dijudicanda relinquo. Hæc finem facio.

SOLI DEO SIT GLORIA.



COROLLARIA.

I.

In primâ Figurâ *Major* potest esse *Particula*.
ris.

II.

In primâ Figurâ *Minor* potest esse *negans*.

III.

Hæ duæ propositiones: *solus Papa est caput Ecclesie*, *ET: non solus Papa est caput Ecclesie*, contradictoriè sibi opponuntur, adeoque altera erit vera, altera falsa.

IV.

Negamus, omne quod est ad finem necessarium, habere causalitatem aliquam respectu Finis. Unde frustra est, qui ita colligit: Hoc est necessarium ad Finem; Ergo est causa Finis,

Argu.

Argumentosi qua fabrica Syllogismi ;
Quis modus, & ratio subsit, Amice, doces.
Tutare hanc fabricam FELICITER! & fabricabis
Laudis opus studiis (auguror) inde tuis.

Cum voto felicissimorum in studiis progres-
sum honoratissimo Dno. Adfui suo
hæc paucula fudit

PRÆSES.



IN fauces svere Viri tentare Leonis
Iroborâ, queis bellum, queis est Victoria cordi.
Sic intrare juvat Logices penetralia, Amice,
ut videant hostes, quâ sint cum laude repulsi,
ut doceas omnes, quanto sudore labores.

*His Literatissimo Dno. SCHUCKMANNŌ, Amico
lectissimo, de Syllogismo disputanti non
potuit non adesse*

Matthæus Slüterus.



Argue contortas, syllexis ut apta pateſcat.
Gordius hic nodus, solvitur ense Sophi,
Palladium quando SCHUCKMANNE polite tigillum
Argumentandi ductus amore petes!
Demonstrativis argumentare Logismis
Quilibet ut Logicum Te probet indè bonum:
Sic ea pramissis ARGUMENTATIO faustis
Argumenta Tibi Laudis honora dabit.

gr. scr.

JohannNicolaus Quistorp.



ris affirmans, reducitur per solam conversionem
Minoris. Et hinc petitur ratio cur literæ initiales
ant initialibus primæ figuræ modorum.

QUESTIO VI.

Cur Felapton & Ferison ad Ferio, &
reducuntur?

Ideo reducuntur ad Ferio, quia Conclusio
negantem inferunt, qualis non nisi in Ferio, u
Nullo quadrent, colligi potest. Ceterum quia
Minori præmissa, abeunt à Dicto de Nullo, pro
rigi debet; In specie verò, quia in Felapton no
etiam Minor est Universalis, Major autem nec
versalis, Minor autem si per accidens convertat
cularis affirmans, proinde Minor debet per acci
rison verò, quia Minor est Particularis, debet i
ti, ut medius terminus juxta Dictum de Nullo p

QUESTIO FINALIS

Quid habendum de Reductione B
cardo?

Aristoteles hos modos non nisi per impossi
Conclusionis contradictoriæ & alterâ præmissâ
gura contradictoria alterius præmissæ. Recent
existimant, hos modos posse etiam ostensivè red
Bocardo verò ad Darii, & ideo etiam ut litera
corresponderent, illum vocant *Facrono*, hunc
sentendum, rectius constet, primò ostendendu
telem nequeant reduci: Deinde quomodo juxta
ostensivè reduci; tertio nostram proponemus m

Quantum ad primum, sciendum, omnem
sivam peragi transpositione præmissarum, & co
sionem verò illam juxta Aristotelem esse duplicem
accidens. Ceterum his mediis dicti modi neque
Nam in Baroco Major est Universalis affirmans,
D;

